





DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup>. IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**SINGVLTV**

10

QVAM

ANNVENTE DIVINI NVMINIS GRATIA

PRÆSIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO

ACADEMIÆ ET ORDINIS MEDICI SENIORE

ET h. t. DECANO

PRO GRADV DOCTORIS

LEGITIME OBTINENDO

*Ad d. Junii Anni MDCCXXXIII.*

*H. L. Q. C.*

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVTOR

FRANCISCVS HENRICVS GOTTFRIEDT

CAROLO - THERMENSIS.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ

TYPIS IOHANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.

1645  
LIBRARIUS  
VITAE VON  
ANNELEN DIVINI LAVINII CRETATI  
PRESBITERI ET  
DNI FRIEDRICO HOMMANNINO  
PRO CIVITA DOCTORIS  
CENSU  
TRANSCAR IN RICAS GOTTHILDI  
GOTTHILDI



*Q. D. B. V.*  
DISSERTATIO IN AVGVRALIS  
MEDICA  
DE  
**SINGVLTV.**  
PRAEFATIO.



Ræter ægritudines, quæ cauſa  
per totum corpus diſpersa, toto  
machinæ inhærescere obſervantur,  
ſunt adhuc quam plurimæ, quæ  
unam potiſſimum præ reliquis par-  
tem offendere, in eaque, cœu to-  
tius mali fomite, ex quo actiones homini proprias mi-  
fero planctu afficiunt eructantque, residere ſolent. Has  
inter cauſis morborum ſovendis obnoxias partes nulla  
certe eſt, quæ facilius ac frequentius occupatur.

A 2

quā

quam intrinseca microcosmi culina , ventriculus ac intestinorum canalis: nullaque, quæ plura reliquis partibus ac functionibus inducit damna , & symptomata. Quemadmodum enim hi membranacei canales ad sanitatem conservandam maximum conferunt momentum; & non alimentosum minus succum per chylifera vasata toti suppeditant machinæ, quam impuras alimentorum partes foras ejiciunt: ita quoque a naturali recedentes constitutione, toti fere corpori, omnibusque illius actionibus gravissimas infiungunt noxas. Nullum enim viscus majorem cum reliquis habet confœderationem ac compassionem , quam ipse ventriculus : dispensat ille singulis partibus sua , omnibus compatitur , a singulis noxa in illum redundant , omnibus amicus & patronus existit, a quovis ergo insignem mutuantur sympathiam, unde & primus facile peccat, & primus aliis peccantibus afficitur. Quam veritati esse consentaneam assertionem, docet non solum artificioſiſſima harum partium fabrica; verum etiam experientia, cœco præjudiciorum jugo exuta corroborat. Qui enim ventriculum nerveis valde membranis instructum considerat, illasque partim ab octavo nervorum pari, partim ab intercostali ramo fabricatas esse calleb, facilime perspiciet, quanta illius cum aliis visceribus esse debeat communicatio, quantus consensus. Taceo rerum magistram experientiam: quæ enim pars in omnibus tantum non morbis , quos chronicos dicunt, majorem meretur attentionem quam ipse ventriculus? Ex illo sane omnes fere hypochondriacæ, hysteriacæ, flatulentæ, cardialgicæ, spasmodicae, aliæque afflictiones ceu universali gesmine propullulant. Et unde

unde periodicorum morborum originem melius deducemus, quam ex ventriculi vitio? sed hanc ulterius adstruere veritatem, ad nos fere non pertinet: qui eam uberioris cognoscere cupit, adeat *Exc. D. PRÆSIDIS Medicinam consultatoriam.* Nos præsenti inaugurali dissertatione singultum explicaturi, satis ostendemus, quantum ventriculus cum septo transverso habeat communionem: quanquam impossibile fere sit, ut una harum partium lœsa, altera maneat integra. Adsit numen conatibus nostris, eosque adjuvet clementer.

## §. I.

**Q**uæ græcis λυγμὸς, Hippocrati λύγξ, λυγγὸς (ad differentiam vocis λύγξ, λυγχός, quæ lynxem, animal acutissimo visu præditum denotat) latinis singultus audit, affectio est concussio septi transversi cum annexis quibusdam partibus spasmodico - convulsiva, interrupta, sub inspiratione facta & cum sonora aeris per œsophagum explosione stipata. Cujus natura & ratio mechanica ex partium affectarum situ, nexus & fabrica elucescit.

## §. II.

Septum transversum, græcis diaphragma dictum, omni circumferentia musculosum, fibris a centro ad peripheriam tendentibus, in centro tendineum, medium corporis cavitatem ab infima transverso, simul obliquo, anterius altiori, posterioris decliviori situ dissepiens, versus thoracem convexum, abdomen versus concavum, nervis partim ab intercostali ramo, & vago pari, partim a vertebralibus oriundis, satis capacibus instructum; binis foraminibus, quo-

A 3

rum

rum dextrum in tendineo circulo cavam venam , sinistrum in musculosa parte oesophagum ac par nervorum vagum transmittit , pervium variis undique adhaeret partibus . Nimirum antica parte costis , sterno , & musculis intercostalibus ; media per tunicam pleuram , convexam septi superficiem cingentem , mediastino ; ventriculo non solum per nervos ac exteriorem tunicam , a peritonaeo productam , utrique communem , ac concavum septum , investientem ; verum etiam per stomachum , græcis καρδία dictum ipsi firmiter adnexum ; hepati , ejusque gibbosæ superficie per ligamentum latum ; & postica regione vertebris lumbaribus per duas musculolo-tendineas appendiculas arcto connectitur vinculo .

## §. III.

Vi hujus dictarum partium mutui vinculi necesse est , ut unius partis in loco mutationem sequatur reliquarum adhaerentium motus : quod in naturali statu respirationis docet negotium . Namque sub huius priori actu inspiratione partim musculis intercostalibus costas sursum , simulque antrorum trahentibus , partim ipsis musculosis septi fibris & centro ad peripheriam contractis , & abbreviatis , hoc ex convexa in planiore magis convertitur figuram : protinus hunc motum imulauuntur vicinae partes , & universum sursum antrorumque trahit abdomen , stomacho per abbrevias septi fibras magis coarctato . Omnia haec pristinam subeunt conditionem , diaphragmate in exspiratione ad convexitatem redeunte . Inde vero certissima erit conclusio , quod , ubique thorax & abdomen sursum antrorumque tolluntur , pectorisque ampliatur cavitas , ibi sit inspiratio ; si constata exspiratio .

## §. IV.

## §. IV.

Hæc ita contingere ex anatomia, physiologia, ratione, experimentis, auctoritate summorum virorum seu omni dubio majora supponimus. Iam vero in singultu attollitur abdomen & thorax, peritusque redditur amplius: ergo singultus est inspiratio, seu fit sub inspiratione. Verum enim vero sub naturali inspiratione antecedere obseruatur motus intercostalium musculorum; sequitur transversi septi constrictio, & tandem abdominis agitatio: hæcque omnia placido, lento, successivo procedunt gradu: quæ paulo aliter fiunt in singultu. Stringitur enim primum diaphragma, vi consensu, (§. præc.) sequitur motus intercostalium musculorum, demum abdominis; cuncta administrantur vehementer, violenter, & velocissime. Hinc autem singultus est inspiratio præternaturalis, spasmatica, convulsiva, violenta, cito tissima: quam sequitur exspiratio naturalis.

## §. V.

Exinde explicanda quoque erunt singultentium motuum intervalla: constrictum concussumque enim septum producto singultuoso sonitu, mox iterum plus minus lento naturalique modo convexum redditur, i. e. fibræ musculares iterum prolongantur: hinc quies sonitus observatur. Quo vero hæc citius, quoque vehementius fiunt, eo violentior singultus, eoque breviora habet intervalla, & vicissim. Inde patet ratio constrictio spasmatica, quæ sub singultu occupat diaphragma: ea enim est quidem velocissima ac violenta, mox tamen remittens; adeoque discrepat ab ea spastica detinione, quæ diutius septum tenet rigidum, ac perpetuam spirandi causatur difficultatem. Vnde vero sonora ista explosio? an ab aere vi ex pulmonibus truso? neutiquam:

nul-

nullus enim sub inspiratione ex pulmonibus aer fertur , sed concusso velocissime septo constringitur quoque stomachus & gula citissime : hinc aeris, continuo a nobis deglutiti portio intra cesophagum comprehensa magno impetu sursum per integrum pellitur cesophagum , tandemque in fornicate palato singultuosum istum efforinat clangorem . Conf. LANGII Pa-  
el. animata Cap. 36.

## §. VI.

Ex his , intelligenda æque ac dirimenda sunt lites ve-  
terum medicorum , quæ de loco singultus subiecto eorum a-  
nimos ex structuræ & mechanismi ignorantia excruciarunt .  
Vetusissimi enim & horum antesignanus HIPPOCRATES  
*L. VI. apb. 39.* accusaverunt ventriculum ; ut inde FORESTVS  
*L. XVIII. obs. XII. pag. 286.* singulum describat per vehemen-  
tem & violentum stomachi motum , quo rem infestantem ex-  
pellere conatur . At enim vero sic confunduntur ructus &  
vomitus cum dicta septi afflictione : quippe ad quos morbos  
eadem valet definitio . Cui quidem confusione licet me-  
deri videatur ea distinctio , qua per vomitum expelli , quæ  
in ventriculi cavitate continentur , per singulum agitari ,  
qua orificio illius superiori inhærescent , perhibent veteres : te-  
ste FORESTO *loc. cit. pag. 290.* attamen inextricabiles iterum  
nodos susterent nausea & cardialgia , quibus pariter agitantur ,  
qua stomacho sunt impacta . Quid ? quod phœnomena sin-  
gultum comitantia , ceu clarissimæ inspirationis notæ cum  
supposita stomachi convulsione nullo modo possent explicari .

## §. VII.

Quamobrem hisce difficultatibus perspectis quidam  
celeberrimi viri adfectus præsentis causam & sedem in solo  
transverso septo collocaverunt . Quorum agmen dicit FELIX  
PLA-

PLATERVS L. II. de functionum lesionibus Cap. V. pag. 470. quem sequuntur FRANCISCVS SYLVIVS Lib. I. prax. med. Cap. 23. ac ETTMVLLERVS Colleg. pract. pag. 208. variis sententiis suam argumentis corroborare annili sunt. Conf. MAIOWII disp. de respiratione pag. 292. At & huic opinioni varia variis visa fuerunt contraria ; quare media incidentes via primario quidem os ventriculi superius adfici , per consensum tamen semper diaphragma simul agitari prohibuerunt ; uti DOLÆVS ENCYCLOPÆD. Med. L. III. C. II. pag. 174. & BACHMAIERVS diss. de Singultu Aldorffii anno 1695. habita pag. 6. statuum.

## §. VIII.

Nos nostram exposituri mentem , principalem sedem primariumque huius affectus organon in solo diaphragmate collocamus : dum enim ille genuinam ac veram nobis sistic inspirationis speciem , impossibile est , ut absque musculi illius transversi ope queat administrari . Verum enim vero nec stomachus immunis manet , nec reliquæ cohaerentes partes : namque unius partis affectionem sequitur reliquarum laesio ( vid. §. 3. ) Præcipue autem annotanda in hoc morbo rautua diaphragmatis ac ventriculi communicatio ; qua fundamentum sistic divisionis illius , qua singultus in idiopathicum & symptomaticum recte dispescitur . Quandocunque enim causa illius materialis in ipsa septi transversi hæret substantia , morbus audit idiopathicus : & dicitur symptomaticus , si ea in superiori ventriculi orificio residet , aut ex alia remotori parte huie per consensum communicatur . Namque hoc dum non solum membranam exteriorem a peritonæo mutuatam , verum etiam nervos ex pari vago & intercostali oriundos cum septo habet communes : evidentissimam no-

B

bis

bis suppeditat rationem, qua illud affectum, vellicatum, constrictumque vicinum sibi diaphragma in mali sui & spastica contractionis rapiat communionem, cuius deinde concussio singultentes product motus.

## §. IX.

Nanciscitur ex diversitate suæ durationis aliam adhuc differentiam hic affectus; qua vel chronicus dicitur vel acutus. Hic & idiopathice & symptomatice morbis fere acutis jungi observatur, ut febribus continuis, malignis, exanthematicis, pestilentialibus, dysenteriis retropulsis, inflammationibus partium nobiliorum, diaphragmatis, ventriculi, duodenii, hepatis, uteri, cerebri &c. & non solum brevioris exitus, verum etiam ancipitis est eventus. Contra vero chronicus tales quoque morbos comitari solet, e. g. hystericos, cacheticos, primarum viarum vitiataam conditionem, malam partium spiritualium conformatiōnem &c. Ipsiā etiam totius corporis convulsiones antecedere soepe deprehendit: & in hac sua indole ad plures hebdomades, menses, quin integros annos cum insigni ægrotorum molestia extendi potest. Sic BAR-THOLINVS Cent. 2. obs. med. anat. hist. 4. de singultu per quatuor annos infestante; & Cent. 3. epist. 61. de muliere per biennium adeo graviter singultente, ut a damone obessa videatur; alii alia exempla allegant: quorum major numerus a MARCELLO DONATO L. IV. hist. medic. Cap. V. & SCHENCKIO observ. L. III. recensetur. Ad huius chronici singultus censem reserri vulgo solet ille, quo ex diæteti causa, vel refrigeratione vel alimentorum incongrua assumptione ortus eiro iterum evanescit; & hinc non immerito diætetus ad differentiam morbos adpellari posset.

## §. X.

## §. X.

Molesta hæc affectio primarium rarius constitueret soleret morbum ; sed duntaxat grave morborum symptoma; nisi forte illum excepere singultum, qui ventriculo ianuam saburra onuslo supervenire soleret. Diagnosis illius est facilissima : juxta vulgatam enim parvem tria sunt, quæ celeri nequeunt, tussis, amor & singultus. Pectus minirum concutitur tanta scipiis veheinentia, ut iuxta DOLÆVM Encyclop. med. L. III. Cap. II. pag. 174. totum simul contremiscat corpus & costæ frangi videantur. Hinc medico in tali rerum statu consuleto id solummodo incumbit, ut eas caussas ex signorum concatenatione perscrutetur, quæ ad violentas septi concussiones disposuerunt : qui enim bene cognoscit, bene curat.

## §. XI.

Explicatis itaque indeole, mechanismo ac differentiis singultus, ad ejus caussas perquirendas provolvimur. Proxima ergo caussa est ipsa stimulatio, vellicatio & pressio aut diaphragmatis aut stomachi, eamque insequens spasmatica vel convulsiva harum partium concussio & constrictio. Quæcunque autem res has partes vellicare, aggravare & afficere valent, illæ caussarum remotarum aut occasionalium nomine juxta morem loquendi scholis receptum insigniri solent. Harum binas recensuerunt potissimum veteres, & omnem singultum vel ex repletione vel inanitione derivarunt: vid. FORESTVS L. XVIII. Cas. 12. pag. 289. quibus addit DOLÆVS Encycl. med. L. III. Cap. 2. p. 289. irritationem. Nec quoque omni hæc divisio carere videtur fundamento : omnes enim occasionealies caussæ sub has classes crunt referendæ; quas jam suo ordine recensebimus.

B 2

## §. XII.

## §. XII.

Primum locum occupat aer, isque potissimum frigidus: qui quemadmodum toti corpori infensus, ita & ventriculi septique nervis inimicus est, maxime si subjectis antea calentibus subito admittatur. Dum enim ille externam constringit peripheriam, & transpiratione eliminandas fordes ad interiora repellit; haec ventriculo inharentes facillime tantam ipsi inferunt vellicationem, quanta pro excitanda singultuosa concussione sufficiens existit. Hinc nudo pectore, aut leviter tecto, nudis prater confuetudinem pedibus incidentes, ex calidiori in frigidum abeuntes locum, maxime pueri & quorum textura raptor existit teneriorque, facillime singultum incurunt: quid? quod infantes, quorum fonticulus minus tectus frigori sicut expositus, frequentissime eodem corripiuntur.

## §. XIII.

Eiusdem affectus caussae ipsa esculentia ac potulenta variis modis existunt. Nocent enim vel nimia, quantitate, vel inimica qualitate: quantitate infensa sunt, cum vel nondum ventriculi cavitatem intraverunt, vel jam ingressa sunt. Priori ratione frequentissimum est, singultum ex alimentis vel solidis vel fluidis velocius absque pravia sufficienti masticatione devoratis oboriri (da enim der Bissen im Halse stecken bleibt). Dum enim haec naturali ordine per gula canalem non passivo lapsu, sed activa illius contractione ad ventriculum deferuntur: alien fieri non potest, quin iis justo celeius avidiusque, ut bolus bolum, haustus haustum trudat, assumentis, quedam portio circa superiorius ventriculi orificium aliquamdiu commotetur; illudque adgravatum ad spasmodicas constrictiones, septo communicatas priorit. Namque

que tam gulæ ac stomachi pressionem hisce motibus producendis satis aptam esse, confirmat casus a FORESTO L. XVIII. obs. 12. de singultu a fruslo pulmonis bubuli in oesophago restitante commemoratus. Posteriori ratione cibi nimia quantitate ventriculum onerantes eandem producunt molestiam: sic pueri voraciores ac gulae nimium dediti frequentissime sunt singultosi. FERDINANDVS hist. med. cons. 43. allegat casum de singultu ex pane nimium assunto & velocius devorato. Huc maxime contribuere solent potulenta, aut nimis avide hausta, aut iusto frigidiora calenti corpori ingurgitata: quid enim frequentius, quam infantes, uberibus matrum adhaerentes, si frigidorem acceperint cerevisiam, illico singultire? TIMÆVS a GVLDENKLEE L. III. Cas. V. pag. 115. hujus affectus exemplum *in vitro*, qui nimis calefactus aquam frigidam cum nitro hausterat; & RIVERIVS de morborum infreqv. observ. I. aliud allegat, quo ille a frigido haustu ortus per bimestre tempus adfixerat. Idem malum excitant etiam nimia potulentorum assumptiones, si externæ præcordiorum refrigerationes accesserint; exemplo helluonum, qui crapula obruti nudo inter pocula verfantur peccore.

#### §. XIV.

Qualitate peccant assumta, si aut per se actiora fuerint, aut in ventriculo ex aliis caussis faburram generaverint vel acrem vel viscidam, quæ plicis ventriculi ac stomachi tenacius impacta, hunc ad motum constrictivum proritat. Hanc subesse caussam uaria, quæ singultum simul comitantur, signa, ut nausea ciborum, dolor ventriculi gravatus, nictus acidi, nidorosi, ac ipsi quandoque vomitus significant.

cant. Quid enim frequentius, quam tenerrimos infantes, quibus faburra acido-lactea, acris, rodens ac vellicans ventriculum occupat, singultum incurtere? quem DOLÆVS juxta Enycl. med. L. VI. C. IV. p. 464 in ipso embryone, utero matris adhuc inclusio observasse adfirmat. De inflatione cardialgica ventriculi cum singultu legatur obseratio ETTMULLERI, quam habet Coll. consult. cas. V. pag. 133. Eadem scire ratione potus minus defœcati, aliaque minus fermentata alimenta ad nostrum morbum disponunt; dum fermentativam ventriculo inducent acrimoniam, flatulentos vapores ac expansiones, nervis stomachi maxime intensos emittunt.

## §. XV.

Verbo: quicquid inferius, superiusque ventriculi orificio rodit, vellicat, adgravat, singultum producere potest. Huc pertinent omnia peregrina in ventriculum delapsa e.g. vermes, serpentes, venena caustica &c. quid? quod externi ictus venenatorum aut ira excandescientium animalium septi concussions excitare observentur; cande[m]que culpam ipsa medicamina, alias innocua, si in ventriculo accedente acrimonia fiant vellicantia, sibi contrahant. Recenset tale exemplum de singultu in febribus continuis ardentibus ex nimio & intempestivo juleborum acidorum & emulsionum refrigerantium usu excitato SCHENCKIVS lib. III, obs. Quanto autem magis illam excitabunt actiora ac caustica terre remedia? BARBETTE prax. med. L. IV. C. 2. p. 136. eum ex oleo vitrioli loco ballami sulphuris assumto; GULDENKLEE L. VII. Cas. 7. ex euphorbio; & alio loco ex cicutæ productum observat. Quem fugit, quam horrendi motus drastica emetica,

tica, purgantia, maxime helleborum album, & inde cna-  
tas hyperemeses aut hypercathartes conseq̄ qui solcant? Ratio  
facile adparet: hæc enim caustica sere medicamina operan-  
tur, ventriculum & intestina vellicando, rodendo ac stimu-  
lando: unde non solum harum membranacearum partium  
spasmodici, quin convulsivi accedere solent motus; sed  
vi consensu etiam vicinorum viscerum, maxime trans-  
versi septi concussions violentæ: quid? quod totius ma-  
chinæ universales convulsiones insequi deprehendantur; qua-  
lema observationem de epilepsia ex resina jalappa M. N. C.  
*Dec. II. anno VII. obs. 162.* recensent. Conf. Excell. D. PRÆS.  
*Diss. de purgantibus fortioribus ex medicina ejiciendis;* & *Med.*  
*Consul̄t. Tom. I. Dec. V. Cas. VIII. p. 274.* Sed & alia ratione  
caustica hæc medicinae multo periculoſiorem induceere pos-  
sunt singultum: dum inflammationem nobilioris partis effi-  
ciunt; cuius causa natus ille plerumque mortem præagit.

## §. XVI.

Neque vero minus convulsivas septi agitationes, tri-  
stis plerumque eventu post se trahere obſervantur cruxis vi-  
talis nimis ac incoercibiles effusiones, vel per naturales  
haemorrhagias vel per vulnera graviora erumpentes: quibus  
casibus potissimum universales convulsiones ac ipsum vitæ  
finem ceu ultimi naturæ conatus antecedere solent. Satis  
enim exemplo gallinarum, aliorumque animalium necato-  
rum, quin & hominum capite privatorum innotescit: quod  
ubi crux ea quantitate effluxit, ut exhaustus sere videatur,  
tandem convulsivæ insequantur agitationes; quas in exceſ-  
ſivis haemorrhagiis singulatioſe futuras prænunciant. Cuius  
rei ratio mechanica forte clarissima ſuppeditari posſet, niſi id a  
ſcopo noſtro alienum chartæ prohiberet anguſtia. Citissimas  
vero

vero atque utplurimum funestas diaphragmatis concussions excitant humores aciores corrupti in multisque salinis heterogeneis partibus referti; præsertim si ipsi incubant septo transverso; quale exemplum *Excell. Dn. PKÆSES in obs. ad Poter. cent. II. cap. 47.* affert, de homine qui per decem & tres dies vehementissimo afflictus singultu tandem obiit; cuius in thorace aliquot seri acrioris extra vasa natantis unciae post insitutam cadaveris sectionem repertæ fuerunt. Et hac fere sunt causæ, quas sub inanitionis nomine veteres voluerunt; quemadmodum illæ, quæ §. 12-14. allegantur, ad repletionem pertinent.

## §. XVII.

Chronicus singultus natales suos quandoque debet sanguinis ac humorum vitio; quando nempe illi aut acrimonia sœpius quadam imbuti, aut alias per naturales excretiones vel uterinas vel hæmorrhoidales evacuati, jam ex quacunque causa intra corpus retinentur. Hi enim consuetis exitus viis prohibitis, ad alia regurgitant loca, eaque implent; quæ si fuerint ventriculi aut septi vasa, in iis stagnant, partesque has nerveas onerant aut vellicant, & ad chronicas, sœpe periodicas proritant concussions. Hinc gravidis per ultimos gestationis menses, & hystericas sceminas, quarum menstrua potissimum non rite fluunt, maxime sunt familiares: qualem casum memorabilem SCHVRIGIVS *Parthenol.* pag. 213. allegat; ubi resert singultum fœminam ante mensium eruptionem occupasse, hac vero facta semper sponte cessasse. Idem vero malum chronicum æque ac periodicum affligere solet cachecticos, & hepate affectos: ubi caussa in bile, acriori reddita, & tunicas ventriculi ac duodenii nerveas vellicante querenda est. Hinc LENTILIVS

LIVS in Jatromn. pag. 286. talem affectum observavit in cuncto, tam diu durantem, donec vomitus sequeretur,

§. XVIII.

Accedit singultus dysenteriis & diarrhoeis, si intempestive cohabitæ & per opia aut alia sub initio præfertim adhibita adstringentia fuerint sufflaminatae. Quo scilicet sit, ut vitiosa stagnante, atque ad diaphragma translata materia, idem ad vehementissimas easque ut plurimum funestas irritetur commotions; annotante præfertim hoc Excel. Dno. PRÆSIDE in not. ad Poter. obs. cent. II. cap. 47. Neque raro erysipelati supervenit retropulso aut in senioribus & imbecillioribus haud satis expulso: arthritidi & podagra vel retrocedenti, vel ob virium infirmitatem haud sufficienter foras trusæ; qualem desperatum casum ex arthritide non amplius artus infestante VELSCHIVS hecatost. 2. pag. 30. recentset. Horum phœnomenorum vero caussæ in penetranti subtili caustica fere acrimonia, quæ merito virulenta dici debet, hæret: quis enim ignorat, quæ materia horum morborum sit genitrix? Hæc si in externis partibus diros motus dolesque excitare valuit; multo magis illos intra repulsa excitabit. Iungitur autem porro singultuosa molestia alvi pertinaci obstructioni ac ileo morbo, maxime si inflammatio quædam hos morbos comitetur, nec minus herniæ, potissimum senum; quibus herniosis singultuose febres valde sunt familiares; quarum exemplum allegat FORESTVS L. VIII. obs. 12.

§. XIX.

Huc denique pertinent ossicularum, quæ pectus cingunt, partium & malæ conformatioonis vitia. Mucronata cartilago, si laxata vel ob alias caussas magis introrsum reflexa

C

271

flexa est, ut ventriculum stimulare possit, præsentem adfæctum producere observationibus deprehenditur; qualem a depresso hac cartilagine per 3. menses durantem adducit FERNELIUS L. VI. de part. morb. Et sympt. cap. 3. Eundem costarum luxationes, fracturæ, atque contorsiones excitasse, experientia docet. Hinc idem FERNELIUS l. c. pag. 568. singultum ex luxata costa ortum ea reposita desississe referit; & RHODIVS Cent. 2. obs. 6. continui singultus ex comprefſione undecimæ thoracis vertebræ mentionem injicit.

## §. XX.

Sed & acutorum singultuum cauſas considerabimus. Harum primas tenent viscerum nobiliorum graviores inflammationes; qua ipsum ſeptum occupans idiopathicum efficiunt malum, uti in paraphrenitide adpareat. Ventriculus ac intestina inflammatæ aut vulneratae per conſensum hos motus excitare ſolent, teste FORESTO L. XVIII. obs. 12. Maxime hepatis phlegmoni hunc morbum jungi, obſervationes docent: conf. CELVS L. II. cap. 7. BARBETTE pr. med. L. IV. C. 2. quod & symptomatice, dum hepar ſima part, qua ventriculo adjacet, inflammatum eſt; & idiopathice, id que frequentius ſi gibba parte, diaphragmati aduenio laeditur, contingere potest; cuius rei pathognomonicum ſignum dolor ad jugulum ascendens ſuppeditat. Iphæ cerebri & meningi inflammationes, capitisque graviores vulnerationes vi conſensus, quem haꝝ partes per nervum vagum cum ſepto & ſtomacho habent, eminus hoc ſymptoma producunt. Præſertim pesti accedere singultum ob ventriculum aut ſeptum carbunculo pestiferali occupata, docet DIEMER-BROECK Cap. 13. §. 5. Et 6. Et Cap. 15. annot. 15.

## §. XXI.

## §. XXI.

Non minus ille sociari solet febribus continuis, acutis, malignis exanthematicis variolaceis aliisque, præsertim si istæ in medio sui decursus per incongrue applicata opiate, motusque sistentia fuerint sedatae; qualem RIVERIVS commemorat casum *cent. III. obs. 17.* de centurione, qui febre laborans tertiana sumto syrupo de papavere in medio paroxysni tam importuno pressus est singultu, ut animam pene expiraverit. Atque adeo varias singultus agnoscit cauissas. Aut enim sudores represso, & exanthemata restituantia, vel repulsa, aut acrem ventriculi faburram sequitur; quem veteres ex repletione dixerunt, cuiusque exemplum in febre continua biliosa refert FORESTVS *L. V. obs. 15.* Aut inflammations partium his morbis accedentes anticipi eventu comittatur, veteribusque ex inanitione ortus audit. Vtroque calu periculosa simul adsunt signa, sitis magna, debilitas insignis, vigilia, delirium, impudenter, ardor inextinguibilis, motus maxilla inferioris tremulus, nervorum distensio, vocis interceptio, urina diluta &c. Contra vero si circa dies criticos occurrit, ac reliqua signa, maxime coctionis in urina fuerint bona; nihil mali portendit, sed vomitum criticum aut alvi fluxum futurum prænunciat, & his subsequutis cessat. Sennius quoque has acutas febres ita sequitur, ut cum ipsis permaneat, & per totam febrem simul exacerbetur: quales febres singultuosæ aut lyngodes veteribus appellantur, earumque exemplum in M. N. C. anno 4. obs. 48. pag 43. allegatur. Notabilis quoque arque lectu satis digna est observatio, quam refert PATERIVS *Cent. II. cap. 47.* de immanissimo singultu febries per diarrhoeam jam solutos impetus fecuto, quo totum ægroti tam vehementer atque atrociter concussum

C 2

narra-

narratur corpus, ut per tres continuos dies, vix momento respirandi facultas, nec itidem loquela efferenda spatum fuerit.

### §. XXII.

Sed quis omnes speciales ac individuales singultuum caussas recensembit? Hæc de illis dicta sufficient; progrediamur ad prognosin. Singultus diæteticus cito transiens nullum nec periculum minatur, nec medelam poscit: nec periculosus ille, qui visciditatem, cruditatem, acrimoniam ventriculi excipit; nec qui hysteris accedit, pertimesci adeo debet. Multo minus malum præagit criticus ille, qui febris acutis jungitur, salutaris potius criseos nuntius. Veteres in genere singultum ex repletione haud tantas, quantas ille ex inanitione noxas portendere perhibent: teste FORESTO L. XVIII. obs. 12. & L. V. obs. 15. Idem vero alia præter criticam ratione per acutos morbos; febres maxime ardenttes ac pestilentiales incidens grave ostendit periculum, maxime si supra allegata signa accesserint: delirium autem si interveniat, aut nervorum distensio, mortiferum est. Qui causa inflammationum oritur, & in dictis febris, & in ipsis inflammatoriis, nunquam non lethalem præagit exitum: maxime qui jecur inflammatum comitatur; id quod FORESTVS L. XIX. obs. 8. exemplo confirmat.

### §. XXIII.

Qui acrioribus purgantibus, vomitoriis, drausticis venenis exhibitis supervenit, ob inflammationem jam productam, lethalis fere censetur: absente inflammatione non quidem absolute lethalis, & que tamen horrendus est. Omnis ex inanitione singultus, post citam alvum, vomitiones largas, malus; post sanguinis profusionem & capitis vulnera pessi-

peſſimus, convulſionum mortis que tristissimus nuntius. Quem post ſe trahunt dysenteria, diarrhoea adſtricta, eryſipelas, podagra, arthritiſ repulſa, periculo non vacat. Singultuſe ſe-  
num herniosorum febres, cum nulli ferme medelæ locum relinquant, mortiſera fere ſunt, telle FORESTO L. XVIII.  
C. 12, Schol. ſub finem. Illum omnem ex inanitione fuſſe, ma-  
lum: ſternutamentum autem singultui, maxime qui ex re-  
pletiōne oritur, accessiſſe utile eſt; huncque ceſſaturum  
prænunclat. §. XXIV.

Tandem vero curationem aggrediſſuri, eam diætetico  
singultui, cito tranſeunti opponere non opus habemus. Ille  
enim ſola inspirationis continuatione quandoque excutitur;  
nec minus ceſſat ſi menti alia vel grata vel ingrata objiciatur  
idea: aut ſeria intensaque meditatio. Hinc vulgi expe-  
riimenta innotescunt, quibus abigere hoc ſymptoma inten-  
dunt; ut jocos proferant, alapas, ingratum auxilium, inflig-  
tant, auriculam atque manus volam comprimant & faude-  
ant: Man ſolle an ſeinen Schatz gedenken, ſo vergehe das  
Schluckſen u. c. Quid? quod ipla animi pathemata hos motus  
fugare deprehendantur: ut hinc VALERIOLA obf. 4. l. 2. pag.  
162. de singultu ex terrore ob conſpectum felis, muris fu-  
gati, caſuſ referat. At enim vero, viſne hinc concludere,  
anima tantum eſſe in corpus imperium, ut fugare & excitare  
singultum pro lubitu poſſit? Qua ratione hoc conciliabiſ experimentum, quo vulgus ad excutiendam iſtam moleſtiam  
singultiſti præcipit, ut singultiat: Er ſolle einmahl schluck-  
ſen, man wolte ihm was geben? Cedit ſcepius motus, dicto  
quaſi audiens, & ſubjectum invitum ceſſat singultiare. Hæc  
vero ex mechanismo explicare, nobis jam nec animus, nec  
occaſio eſt; & peculiari indiget inquisitione.

C 3

§. XXV.

## §. XXV.

Revertamur potius, unde digressi sumus, & singultus gravioris curationem perspiciamus. Omnis indicatio in hocce symptomate duplex est: & quidem prima caussarum materialium congruam remotionem; altera spastico-convulsivi motus soptionem exigit, ac affectarum partium roborationem. Veteres huic posteriori indicationi satisfacti opio & medicinis inde paratis utebantur, magnamque ipsis adscribebant efficaciam: nos vero nostris temporibus, quem ex summorum virorum industria tutiora prodiere anodyna, illis ceu minus tutis commode supersedebimus. Inter anodyna nobis instar omnium erit, *Ex. Dn. PRÆS.* liquor anodynus mineralis, cuius laudes, ac insignem in compescendis spasmodicis constrictionibus efficaciam quotidiana docet experientia. Nec incongruum erit hoc sine spiritum nitri dulceni rite præparatum, ac cum balsami vita Hoffmanni parte mixtum exhibere. Inserviunt etiam olea roborantia macis, menthæ, absynthii cum dicti balsami quibusdam guttulis combinata; ac in aquis spirituosis, ceu commodo vehiculo, propinata. Externa inter opem pollicentur linimenta antispasmodica, paregorica, anodyna praecordiis admota, qua habeant oleum nucifæ expressum, axungiam humanam, oleum macis, menthæ, absynthii, crocum, castoreum, camphoram &c. nec minus cerata ac emplastra nervina scrobiculo cordis applicata, ac ipsæ denique partium affectarum per accommodata vincula constrictiones.

## §. XXVI.

Verum enim vero caussarum remotio morbi erit curatio: sine qua omnis ludetur opera. Quam obrem si ab externa refrigeratione, aut prohibita transpiratione malum fuerit

fuerit ortum; regimen temperate calidum, maxime affectatum partium fomentatio, potus calidior, aut infusum theiforme ex herba melissæ ac menthæ insignem præstabunt operam: quibus si cedere recuset, diaphoresis lenior, per diaphoretica blanda, v. g. Spiritum Buffii b: zoardicum cum liquore anodyno aut essentia castorei maritatum excita, omnem curationis absolvet paginam. Qui ex nimia ventriculi per ciborum saburram repletione ac oneratione natales suos mutuantur singultus; saburra remotionem indicat. Ea cito peragetur dato blandiori & in dosi remotiori vomitorio, ex radicis hypocaccianhæ granis XII. vel XV. aut in robustioribus unico tartari emeticci grano: quorum exhibitioni si aduersetur dylemetos æger, aut alia contra indicantia repugnant; leniora laxantia ex rhabarbaro aut manna cum cremore tartari erunt coquimodissima. His remota causa subjungantur nervina, stomachica, anodyna, si opus fuerit.

### §. XXVII.

Quod si vero fortes primarum viarum acres vel viscidæ peccent: illæ oppugnanda erunt. Acrimonia acida biliosa datis modica dosi absorbentibus citratis, magnesia, pulvere præcipitante Hoffmanni involvenda & infringenda; viscida autem saburra incidenda, resolvenda & mobilis reddenda per salia digestiva, neutra, tartarisata, terram foliatam tartari, liquorem inde paratum, radices resolventes simul roborantes, ari, angelicæ, calaini aromaticei &c. Tum vero cocta expurgare oportet: quod in adultioribus pilulæ balsamicæ ad Hoffmanni, Stahlii vel Becheri imitationem paratae, potio mannata, sal anglicanum &c. præstabunt. Maxime in infantum ex saburra lactis acida enato singultu proficiunt

ficient evacuationes hæc, optime per sulphur antimonii auratum cum tartato vitriolato, aut aurum fulminans cum magnesia combinatum, aut demum per clysteres peragendæ: Iōepius hoc symptoma ab acrimonia & visciditate ortum solo potu tepido copiose sumto curatur: hic enim involvit acrimoniam, diluit visciditatem, & stimulationis causam removet. Vermium colluvies si subesse deprehendatur; carum expulsione amaris, anthelminticis ac evacuantibus obviam eundum. Flatulentis vaporibus ac fermentativis expansionibus optime medebuntur carminativa cum digestivis maritata v. g. aqua carminativa Dorncrelli, essentia carminativa Wedelii, castorei, maxime si cum liquore anodyno aut spiritu nitri dulci nuptæ fuerint; aquæ spirituose Cinamomi, menthæ, aquæ vitae aromaticæ, ipse vini generosi haustus, pulvis stomachicus Birckmanni &c. Quibus, re sic exigente, clysteres carminativi juncti, fatus a superioribus ad inferiora felicissimo eventu maxime in infantibus trahent.

### §. XXVIII.

Quandocunque a dato emetico, purgante, caustico remedio, veneno, singultus excitatur; ea oportet propinare remedia, quæ castrant enervantque vim veneni, ac violentum motum sedant. Hæc inter nihil præstantius deprehensum fuit pinguibus, oleis, amygdalarum dulcium, olivarum, mucilaginosis, iplo lacte, maxime cremore illius, tempestive prius, quam inflammatio locum occuparit, exhibitis. Quibus involuto veneno motus ipsi diri refrænandi sunt externis carminativis, interne liquore anodyno: his autem ante materiaj involutionem uti, nihil aliud est, quam oleum camino addere; si vero malum a veneno per contagium hausto, uti in peste, vel etiam a morsu canis rabidi, iætu, ira effervescentis infecti

insecti provenit; tunc theriacalia, ipsa theriacalis aqua, theriaca celestis cum antispasmodicis, nitrofisis, camphora, cinnabari, diaphoreticis mixta optimum pollicentur auxilium. Quæ curandi ratio locum quoque habet, quando a materia acri, caustica exanthematica ad interiora a corporis superficie repulsa idem incidit: quo casu pulvis ex Camphoræ aliquot granis & nitro compositus, nec non emulsiones ex amygdalis & seminibus 4. frigidis majoribus & aquis diapnoicas paratæ præstantissimam ferent opem.

## §. XXIX.

Pessimi successus solet esse singultus, qui diarrhoeæ vel dysenteriæ medicamentis intempestive cohibitis supervenit; quare cito periculo huic occurrentum symptomati: quod optime fiet clyster ex emollientibus & leniter laxantibus, ipsa videlicet medulla Cassiae vel etiam extracto rhabarbari composito & frequentius injecto. Neque enim consultum erit in tali affectu dare laxantia; sed potius exhibenda sunt ea, quæ exorbitantem hunc convulsivum motum blande componunt; quæ inter laudem obtinent liquor anodynus mineralis cum liquore bezoardico Buffii & essentia castorei conjunctus. Præstat quoque biliosos acres humores ad superiora regurgitantes contemperare; quod efficiet non solum magnesia, sed etiam serum lactis dulce potui datum: haud omissis externis nervinis, & antispasmodicis linimentis.

## §. XXX.

Si ab erysipelate, podagra vel exanthematibus cum febre junctis retrocedentibus, aut non satis foras pulsis oritur adfectus: omni studio eo adlaborandum erit, ut introversus motus ab exterioribus revocetur ad interiora: Hoc præstare valent potus calidi, infusa herba Teebois aut theiformia

D

formia ex scordio, veronica, semine fœniculi, & sambuci floribus parata: pulveres bezoardici, cinnabarinii, nitroſi, liquor bezoardicus Bussiae, cornu cervi succinatus cum liquore anodyno & castorei essentia mixtus; & partim quæ §. præcedente dicta sunt. Externe sit temperate calidum regimen; partes leniter fricentur; & si podagra induxit malum, ipsa vesicatoria artibus adplicata revocabunt motum. Quod reliquum est, in aliarum acutarum febrium singultu febrili motui juxta suas indicationes rite est occurrentum, ac præ omnibus diaphorescens restitutio promovenda. Maximopere tamen cavendum, ne singulum cum febre acuta vel etiam continuis complicatum tractemus medicamentis salinis, multo minus laxantibus, pilulis aloeticis, aut regime nimis calido, vel potu calidissime sumendo; ut enim frigus, ita & calor excessivus partibus nervosis est infensus, maxime si morbo jam affectæ sunt.

### §. XXXI.

Inflammationes viscerum, quæ singulum secum trahunt, maximam curationi objiciunt difficultatem: in iis summopere ab omni opiatorum oblatione cavendum, quippe quæ convulsivum motum quidem fistunt, mortem vero certissime accelerant. Omne auxilium in inflammationis discussione consistit; quæ si recens fuerit, nihilque contra indicet, venæctionibus oppugnanda est; interne vero diaforetica leniora propinare oportet; ut antimonium diaphoreticum, nitrum, mandibula lucii piscis, emulsiones diapnoæ, aliaque quæ sudorem promovent, & inflammationem discutint: quibus, urgente nimium dolore, cauto ac circumspecto usu blanda anodyna sociare licet. Alvi præterea successus rite dirigendus, ne obstruatur; tunc vero clysteribus

bus aperienda. Externe convenient paregorica discutientia, uti camphora tam sicca, quam in spiritu vini rectificatisimo soluta, & croco permixta; non minus fôtus calidi siccii ex herbis & radicibus discutientibus adplicanda: reliquum negotium naturâ committendum, & prudenti prognosi famâ consulendum.

## §. XXXII.

Qui insignes eruoris vitalis effusiones insequuntur singultus, nuntii plerumque convulsionum, haud prius compescuntur, quam si ipsis inanitionibus obex ponatur. Hæc ergo hæmorrhagiarum sedatio principalem hoc in passu præbet indicationem: quæ cohibitio internis medicinis temperantibus, tonicis, analepticis, adstringentibus, externe variis præsidii, ac in vulneribus commoda adfectæ partis deligatione tentanda est; quoram præsidiorum ratio ad chirurgiam partim spectat. Sedato fluxu tutis anodynus insistendum, iisque efficacissima antepileptica jungenda, quæ impedian, quo minus convulsiva hæ agitationes in universalem erumpant epilepsiam. Denique anæmiae succurrendum analepticis, & alimentis reficientibus. Convulsiva porro septi concussio, quæ alvi obstrunctiones, ileon ac herniam comitatur, principalis morbi curationem requirit; qui si fuerit inflammatio, ea quæ §. præcedente dicta sunt, in usum vocanda. Præcipue de singultuosis febris, quibus herniosi occupantur senes, annotavit FORESTVS L. XVIII. obf. 12, quod tantum non semper sint lethales: quanquam enim reponatur hernia, nihilosecius mors presso insequi solet pede.

## §. XXXIII.

Quandocunque hystericus feminas, ac viros hypochondriacus occupat singultus ex sanguinearum excretionum

D 2

ad.

adstrictione: non prius curabitur, quam morbo primario rite tractato. Quare quantitas & que ac qualitas humorum vitiosæ est imminuenda & corrigenda; excretiones salutares non solum sanguineæ, verum etiam alvinæ in ordinem redigendæ; quod præstabunt venæfæctiones, pediluvia, antispasmodica, resolventia ac commoda evacuantia; quibus denique ad motus compescendos leviora jungantur anodynæ; inter quæ liquor anodynus *Excell.* Hoffmanni cum eff. Castorei permixtus principem fere obtinet locum. Par curandi ratio in illo singultu est chronicæ, qui cahecticos & hepate affectos infestare solet: bilis enim vitium infusis resolventibus, hepaticis, attenuantibus, amaris & evacuantibus optime corrigitur; & cum motus singultuosæ securis anodynæ facillime sedabuntur.

### §. XXXIV.

Si denique costæ fractæ, distortæ luxatæque singulum producerunt; luxationis repositio, fracturæ consolidatio, ex chirurgico petenda foro, unicum spondent auxilium. Cartilagini ensiformi autem luxata ac intus flexæ optime medebuntur cucurbitæ cœcæ, scrobiculo cordis applicatae; quarum egregiam virtutem omnes Medicinam facientes, ipsaque experientia reddunt commendatissimam. Quid vero de præservatione hujus mali dicendum? Qui rebus non naturalibus recte utitur, præservabit se a chronicæ singultu; acuti autem præcautio bonum in acutis morbis regimen requirit.

**F I N S.**







DISSESSATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**SINGVLTV**  
*27 AM*  
ANNVENTE DIVINI NVMINIS GRATIA  
PRÆSIDE  
**DN. FRIDERICO HOFFMANNO**  
ACADEMIÆ ET ORDINIS MEDICI SENIORE  
ET h. t. DECANO  
PRO GRADV DOCTORIS  
LEGITIME OBTINENDO  
*Ad d. Junii Anni MDCCXXXIII.*  
*H. L. Q. C.*  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT  
AVTOR  
**FRANCISCVS HENRICVS GOTTFRIEDT**  
CAROLO - THERMENSIS.  

---

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ  
TYPIS JOHANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.

